

05

A

796





Q. D. B. V.

EXERCITATIO ANTIBARONIANA
SECUNDA

de

IMPERIO à GRÆCIS
DERELICTO,

quam in

Serenissimorum Marchionum Brandenburgensium,
Magdeburgi, Borussiae, &c. Ducum &c.

Illustri Gymnasio

ad fontes salutare

Sub Præsidio

DOMINI

M. JOH. FRIDERICI KREBSII

Rectoris & Professoris ibidem dignissimi, Præceptoris
atque Patroni sui ætatem venerandi

publicæ ventilationi exponet

D Augusti.

A. M. DC. LXXVIII.

Johannes Caspar Hammerschmidt. Onold.

ONOLDI,

Typis Jeremiæ Kretschmanni.

VIRIS

MAGNIFICO, NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMO, EX-
CELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO, NOBILI,
AMPLISSIMO, CLARISSIMO

DN. CHRISTOPHORO SINOLDO,
dicto *Schüken* /

J. U. D. Consummatissimo, Serenissimæ Domus Onoldo-
Brandenburgicæ Consiliario Aulico, Feudorumq;
Præposito Eminentissimo,

DN. JOHANNI CHRISTOPHORO
REMO,

Med. Doct. Absolutissimo, nec non Archiatro Branden-
burgico longè Celeberrimo,

DN. LAURENTIO *Flechtner* /

Illustriss. Consilij, tum Intimi, tum Aulici, Registratori
Dignissimo,

DN. JOHANNI FRIDERICO *Söhner* /
Gymnasij Onoldini Collegæ Meritissimo,




DNN. PATRONIS, MECOENATIBUS,
EVERGETIS, PROMOTORIBUS, COGNA-
TO, AFFINI, SUSCEPTORI, omni honoris
atq; Observantiæ Cultu ætatem profe-
quendis,

05 A 796

*Hasce studiorum suorum primitias in perpetuum
gratitudinis atq; obsequelæ argumentum ob-
sequiosè offert*

addictiss. cliens

Johannes Caspar Hamerschmidt.



§ 1.



Nter cæteros Imperia transferendi alienandiq; modos nec insolita, nec injusta est derelictio, quam vocamus, cum quis omni jure, quod in rem hæctenus legitimè possessam habuit, sese abdicat, & quod eam non amplius velit pro suâ habere, sufficienter declarat.

§ 2. Requiritur proinde ad derelictionem *primo*: ut is, qui rem suam legitimè hæctenus possessam derelinquere censendus est, eam non amplius pro suâ agnoscat, aut in suo dominio vel patrimonio numeret. Id quod facere præsumitur, qui volens & sciens se circa rem suam, ut alienam gerit. Hinc is, qui ex casu quodam, sui non est compos, res suas derelinquere non potest, quantumvis etiam res suas abjiciat, earumq; nullam curam habeat. Neq; iste res suas dereliquisse existimandus est, cui invito per violentiam eripiuntur. Si enim actio non à sciente & volente, hoc est, non ex deliberato animi proposito proficiscitur, caret effectu, ut nemo dubitat; etiam is, qui non sciens & volens circa rem suam ut alienam se gerit, eam derelinquere non putatur.

§ 3. Tum verò aliquis sciens & volens rem suam pro non suâ habere rectè præsumi solet, quando vel expressè illud innuit, vel aliquandiu nullam planè significationem

edit idoneam, quod rem suam servare velit. Factu enim vix possibile est, ut, si eam, quam debet, diligentiam adhibet possessor, omnem ejus notitiam effugiant res ad illum pertinentes, cum multas vias occasionesq; tempus in istam cognitionem perveniendi subministret. Credibile autem non est, quod aliquis illam rem pro suâ agnoscere velit, circa quam ut alienam aliquandiu versatus est. Ut enim metus semel incussus obtendi posset; iste tamen perpetuus non est, *cum tempus multas occasiones adversus metum sibi consulendi, per se vel per alios suppeditet, etiam exeundo fines ejus, qui metuitur, saltem ut protestatio de jure fiat, aut quod potius est, ad judices aut arbitros provocetur*, ut Grotius bene monet de Jure B. & P. l. 2. c. 4. § 6. Regibus in more positum est etiam, si aliter non licet, titulos atq; insignia, tanquam protestationum & vindicationum solemnia signa adhibere.

§ 4. Inde patescit requiri *secundo*, ut aliquis derelinquendi animum sufficienter declaret. Quid enim alter velit, & cum animo suo habeat constitutum, cognosci ab hominibus non potest, nisi signis quibusdam & indicijs id sufficienter indicaverit. Postquam verò sufficienter significatum est, tunc pro vero & certo habetur adversus eum, qui significavit, & sic demum actus animi Juris effectum consequuntur.

§ 5. Possumus autem animi nostri proposita & agendo, & non agendo, significare, quod in Scholis per signa seu indicia positiva & negativa fieri dicitur. Utrumq; exemplis à Grotio suppeditatis declarabimus.

§ 6. Agendo

§ 6. Agendo seu facto rem suam relinquere intelligitur, qui eam abjicit, nisi ea interveniat rei circumstantia, ut temporis causa, & requirendi animo, abjecta censeatur. Sic qui reddit chirographum, debitum remittere præsumitur. Qui verbis aut etiam facto recusat hæreditatem, eam derelinquit. Pariter & is, qui rei alicuius est Dominus, sciens & volens verò cum altero eam rem possidente, tanquam cum Domino contrahit, jus suum remisisse meritò habetur.

§ 7. Non agendo, seu non facto derelinquenti animum manifestant illi, qui, ubi possent servandi voluntatem prode, tacent. Is enim, qui dùm præsens est, sciens & volens tacet, videtur consentire, nisi constet, eum vel metu, vel alio casu, ne loquatur, impediri. Neq; minus ille, qui rem suam ab altero teneri scit, nec quicquam contradicit multo tempore, nisi causa alia manifesto appareat, non videtur id alio fecisse animo, quam quod rem illam in suarum rerum numero esse nolit. Qui cum re amissâ, etiam recuperandi spem projicit, nec mittit, qui inquirent, nec promittit *μῆνυτρον*, neq; aliud servandi dominij prodit indicium, non censetur rem pro suâ amplius agnoscere.

§ 8. An verò utriusq; generis indicia seu signa, positiva & negativa pariter ad derelinquendi animum indicandum sufficient valeantq;, ambiguum est. Movet enim Grotius hanc dubitationem: Cum homines se suaq; ament, debere nos summa animi contentione allaborare, ne eò perducamur, ut credamus, eos, quod suum est jactare seu derelinquere, ac proinde actus negativos seu signa negativa, etiam cum magno temporis spatio non sufficere

adeam, quam diximus conjecturam. Præcipuè verò tum videtur augeri dubitatio, quando perpendimus ex amore rerum, opum, fundorum, qui quasi nobis naturalis est, præprimis post lapsum, præsumendum esse, homines eo esse animo, ut nolint sua in alterius potestate relinquere & jacturam pati. Ehimverò si aliquis longo tempore circa rem suam ut alienam se gereret, & tamen animum retinendi servaret, hujus verò planè nullum ederet indicium, nihil aliud de tali homine præsumi posset, quam quòd aliquando & eo quidem tempore, cum omnia censerentur esse tuta & tranquilla, turbas excitare, & cum motu sua repetere cogitaret. Præterea, quod Grotius etiam benè advertit, putandum esset, eo illum hominem esse animo, ut rei caducæ causa hominem alterum velit in perpetuo peccato versari. Is enim qui res occupasset, quas alter omnium hominum judicio visus est dereliquisse, retinendi tamen animum servasset, malæ fidei possessor & à furti infamia non alienus esset. Quoniam autem de hominibus tandiu benè sperandum est, donec contrarium fuerit evidenter demonstratum, existimare potius debemus, homines, ut ut sua ament, si tamen multo tempore circa sua ut aliena versantur, etiam retinendi animum abjecisse.

§ 9. Ut verò interveniat actus positivus, v. g. traditio, per quam dominium rei ad illum, qui eam occupaturus est, transferatur, necesse non est, *nam res domino carentes per solam apprehensionem nobis proprias facimus. Cum enim in istiusmodi rebus nullum existat jus, quo minus quilibet homo easdem sibi vindicare queat, nullo peculiari titulo*

opus

opus est ad dominium illarum sibi acquirendum, sed sola apprehensio corporalis cum animo sibi habendi sufficit. Sam. Pufendorff de J. N. & G. L. VII. c. 7. § 3. junge lib. IV. c. 6. § 14.

§ 10. Quemadmodum autem in privatis societatibus, etiam civili Jure confirmatum est, ut is qui circa rem suam aliquandiu ut alienam versatur, eam dereliquisse credatur; ita etiam circa Imperia inter populos liberos & Reges, populumve liberum & Regem idem rectè meritoq; obtinet. Si enim hoc non admittimus, gravissimum illud & maximè noxium sequitur incommodum, ut controversiæ de regnis regnorumq; finibus nullo unquam tempore extinguantur. Quod uti ad perturbandos multorum animos & bella ferenda facit; sic etiam communi gentium repugnat sensui. Dubitari enim non potest Gentes in id consensisse, ut is, qui circa rem suam ita se gerit, ut ejus retinendæ animus nullo indicio manifestet, dominium relinquere & occupanti concedere indubitato credatur, cum id ad pacem & tranquillitatem communem maximè intersit. Imò nisi tacitè ita convenissent gentes, ut innuimus, pax & tranquillitas inter gentes servari non posset.

§ 11. Atq; hæc placuit præmittere ut *alterum* quod in disputatione de eo, quod sibi summus Pontifex in Translatione Imperii arrogat adversus Cæsarem Baronium susceptâ præmunire volumus, tantò felicius queamus exponere. Quod si enim tempora illa, quibus Romanum Imperium ad Germanos pervenit, & quæ ista paulo antecesserunt

cesserunt & mox consecuta sunt, respicimus, & in acta inquirimus, videmur nobis ea observare indicia, è quibus haud obscure colligi queat, Græcos Imperatores Romani Imperii reliquias pro derelictis habuisse. Num verò spontè ac ultrò, an verò boni cujusdam expectandi, vel gravioris mali evitandi causâ aut ex socordia & quodam rerum animorumq; vitio, id fecerint, equidem definire non possumus. Si verò de moribus, quibus per isthæc tempora res Orientis gerebantur, paulò benignius judicamus, alterutrum istorum sanè necessariò colligendum est, cum nemo prudens temerè res suas jactare credatur, nisi vel mali necessitate impulsus, vel commodo inductus fuerit. De Imperatoribus verò Græcis certum est, quòd nequaquam brevi temporis intervallo circa reliquias Imperii Occidentalis ita se gesserint, ut ij solent, qui se rerum suarum dominio abdicarunt, omniq; possidendi juri renuntiarunt, & cuivis occupanti reliquerunt. Quamvis autem Imperii Occidentalis reliquias neq; testamento, neq; permutatione, neq; venditione modoq; simili quocunq; alio cesserint; ita tamen circa illas versati fuere, ut non obscure viderentur indicare, quod eas non amplius pro suarum ditionum parte agnoscant.

§ 12. Primò enim Græci Imperatores scientes & volentes concesserunt Imperii Romani reliquias in summum discrimen pervenire, nec quicquam memoratu dignum moliti fuerunt, unde constare potuisset, quod ab interitu, qui jam imminebat, eas vindicare seriò velint, aut ullam illarum curam amplius gerant. Id quod non solùm res ipsa loquitur, sed & historiarum monumenta testantur,

ut

05 A 796

ULB Halle

3

003 767 582




W 119

921







Q. D. B. V.
EXERCITATIO ANTIBARONIANA
SECUNDA
de
IMPERIO à GRÆCIS
DERELICTO,
quam in
Serenissimorum Marchionum Brandenburgensium,
Magdeburgi, Borussiae, &c. Ducum &c.
Illustri Gymnasio
ad fontes salutare
Sub Præsidio
DOMINI
M. JOH. FRIDERICI KREBSII
Rectoris & Professoris ibidem dignissimi, Præceptoris
atque Patroni sui ætatem venerandi

publicæ ventilationi exponet

D Augusti.

A. M. DC. LXXVIII.

Johannes Caspar Hammerschmidt. Onold.

ONOLDI,

Typis Jeremiæ Kretschmanni.